



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreas Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quid sit Emptio-Venditio, & requisita ad eam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

positam, vel ejus æstimationem, vel damnum, vel quid simile. Et hæc rursus est vel civilis, bonæ fidei, rei persecutoria & perpetua; vel Prætoria, Welenb. *ad D. hoc tit.* Contraria datur depositario, adversus depositorem, ad repetenda impendia in rei depositæ, custodiam facta Welenb. *d. loco.*

TITULUS XVII.

De Emptione & Venditione.

§. I. Quid sit Emptio - Venditio, & requisita ad eam.

1. *Frequentia & utilitas hujus contractus.*
2. *Definitio & requisita ad hunc contractum.*
3. *Cur solo consensu contrahi dicatur.*
4. *De emptione-venditione scripto contracta.*
5. *In quibus à permutatione differat.*

Visum est de contractibus nonnullis, quæ incutuntur, & alterius partis tantum gratiâ: deinceps videndum est de contractibus, qui consensu & utriusque partis causâ contrahuntur. * I. Et in primis de emptione-venditione: quia is præ cæteris contractibus & frequentior est & utilior: nam lex XII. Tab. emptionis nomine omnem alienationem complexa fuit, *l. Statu liberi D. De statu liberi*; & veteres emptionis ac venditionis nomine promiscuè utebantur, *l. Veteres 19. D. De actionibus empti*; & ibi Gothof. omnisque hodie mercatus præcipuè emptione & venditione sustinetur.

Licet autem hic contractus sit unicus, tamen diversâ consideratione duplex nomen sortitus est: nam respectu eementis dicitur Emptio respectu vendentis Venditio nuncupatur.

2. Emptio-venditio igitur est contractus Juris gentium, nominatus, bonæ fidei, de re pro certo pretio habenda. Ad cuius substantiam tria hæc requiruntur. Primum, Res, quæ veneat sive illa nunc existat, sive futura sit, ut fructus nascituri; sive etiam solum sit spes futuram

esse: nam sine re, quæ veneat, nec emptio, nec venditio intelligi potest, inquit Pomponius *l. Nec emptio D. h. r.* Secundò Pretium: nam & sine pretio nulla est emptio-venditio, *l. Intra partem 1. D. eod.* Et hoc consistere in pecunia debet numerata, §. *retinere Inst. eod.* Tertio, Ut in rem & pretium venditor & emptor confectiant, verè non simulatè, *c. Ad nostram 5. h. r.* quia plus valet, quod agitur, quam quòd simulatè concipitur, *toto tit. Cod. Plus valore quid agitur*, &c. Interdum & acta intervenit in hoc tractu, daturque vel in signum celebrari contractus, *l. Quod sapè 35. D. De contrah. empti.* aut inchoari, postmodum perficendi: qua de re vide Welenb. *D. ad h. r.*

Cæterum licet ad emptionis-venditionis substantiam requiratur res, ut diximus, rectè nihilominus solo consensu contrahi dicitur, quia non est necesse, ut ad ejus substantiam & perfectionem interveniat rei traditio, aut verba, aut litteræ, sed mox atque de re ac pretio coarxerit, etiamsi non tradatur res, contractus hic accipit perfectionem suam, quoad vim scilicet obliganti & actionem producendi, quia tunc efficax nascitur obligatio & actio, nec potest alter, altero inuito, ab emptione discedere, *l. De contractu Cod. De resind. vendit.* omnique periculum ac commodum, quod rei venditæ accidit, ad emptorem pertinet, cum re non tradita.

4. Aliud dicendum, si placuerit emptionem fieri in scriptis, ut plerumque fieri solet in emptionibus rerum immobilium: tunc enim non antè perfecta censetur, quam instrumentum emptionis fuerit omnibus numeris suis absolutum, §. *1. Inst. eod.*

5. Ex prædictis facile fuerit distinguere emptionem & venditionem à permutatione: nam in emptione res pro pecunia, in permutatione res pro re datur: in illa ex sola conventionione seu consensu nascitur obligatio, in hac non nisi re tradita: in illa venditor tantum tenetur ad possessionem tradendam, in hac permutator ad dominium transferendum: illa potest consistere in traditione rei alienæ, non item hæc, prout ista pateat *ex l. 1. D. De verum germinis.*